

& si non prouocat te ad me respiciendum
imago tua, quoniam fedaui eam; prouocet
misericordia tua, quia quod turpior sum, eò
miserior, & miserabilior sum; & nisi me re-
spexeris, nunquam ego ad te respiciendum
conuertar; sed quotidie magis ac magis in-
peccatis tabescam, & semper fèdior, ac tur-
pior siam. Itaque qui hæc dicit, iam cœpit
respici à Deo, sed à Deo adhuc subirato, &
subinde faciem auertente: ideo gustata vt-
cunq; gratia luminis, & respectus Dei, cla-
mat, Non auertas faciem tuam à me, ne
proiicias me à facie tua; perfice quod cœ-
pisti, conuertens te ad me, vt ego perfectè
conuertar ad te. In quacunq; die tribulor,
inclina ad me aurē tuā. Hæc est altera peti-
tio, sed consequens ad primam: nam ex re-
spectu vultus Dei, incipit homo agnoscere
turitudinem, & nuditatem, ac per hoc ve-
ram paupertatem suam. Inde incipit affli-
gi, & tribulari, & medicum supremum, qui
diues est in misericordia, inuocare. Scit e-
nīm à Deo cor contritum, & spiritum con-
tribulatum nunquam despici. Ait igitur
confidenter, In quacunque die tribulor, in-
clina ad me autem tuam, id est, quando-
cunq; ex respectu gratiæ tuæ spiritum con-
tribulatum gero, & inde clamo ad te; peto
vt benignè exaudias me. Et id ipsum expli-
cans addit, In quacunq; die inuocauero te,
velociter exaudi me, id est, quandocunque
tribulor, & ex tribulatione inuoco te me-
dicum omnipotentem; exaudi me, & qui-
dem velociter, ne si forte tardaueris, non
inuenias quem sanes.

IV. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremiū aruerunt.

Reddit rationem, cur dixerit velociter
exaudi me. Ratio enim est, quia vita hu-
mana velocissimè tendit ad interitum, &
ideo nisi peccati vulnus velociter curetur,
periculū est, ne plaga incurabilis fiat. Quia
defecerunt sicut fumus dies mei i.e. tempus
vitæ meæ hucusque transactum, velocissi-
mè præterit, instar fumi, qui quamuis in
magnam molem intumescendo excrescat,
tamen subito dispergitur, & evanescit in

auras: & sine dubio sic transibit id quod sòr
perest. & ossa mea, quæ sunt quasi colum-
næ totius corporis, breuissimo tempore
aruerunt, ac per hoc debilitata sunt, vt bre-
ui ruinam minentur. Per cremum intelli-
gitur lignum, seu virgultum aridum, quod
facile cremari potest, vt Sanctus Hierony-
mus docet in commentario ad ca. 10. Oseq;
vel, vt alii volunt, lignum semiustum, ac
ferè crematum. Vtrunq; autē fragile est, ac
debile, vt pondus superpositum diu susti-
nere non possit. S. Augustinus legit, ossa
mea sicut in frixorio confixa sunt. quam
lectionem inuenimus in editione antiqua
Romana. Sanctus Hieronymus ex hebræo
vertit, ossa mea, quasi frixa contabuerunt.
Vox hebraica, mōkēd, non habetur, nisi
hoc loco, ideo vnuquisq; pro suo arbitrio
cam interpretatur. Septuaginta verterunt,
ωστὶ Φρύγιον σωματοφρύγησαν, que verba vtrunq;
significare possunt, nimirum, quasi
cremum aruerunt; & quasi in frixorio cō-
fixa sunt. Possunt hæc referri etiam ad de-
plorandum tempus in peccatis miserè con-
sumptum, vt sensus sit, Dies mei, in quibus
videlicet voluntatem meam faciebam, &
quos pro arbitrio, sine timore Dei, in volu-
ptatibus consumebam, illi inquam, dies
defecerunt sicut fumus, quia tenebricosi, &
breuissimi fuerunt, neque ullum sui vesti-
gium reliquerunt. Et ossa mea, id est, fun-
damenta, & quasi columnæ prosperitatis
meæ, sicut cremum, aruerunt: citissimè e-
nīm transit omnis mundana felicitas, neq;
aliud post se relinquit, nisi tētrum odorem
quasi rei concrematæ, aut frixa, malam vi-
delicet famam, & nominis execrationem.

Percussus sum vt foenum, & aruit V.
cor meum, quia oblitus sum comedere
panem meum.

Pergit deplorare statum suum præteri-
tum, ac dicit, percussus sum vt foenum, id
est, à sole prosperitatis mundanæ percussus
sum, vt foenum, quod facilimè exarescit;
& aruit cor meum, quia occupatus in eu-
ris huius mundi, oblitus sum comedere
panem meum, panem videlicet veritatis
cœlestis,

Eccc

פָּנָג